

rum pro quaque Missa, Officiales Seminarii, cui portio haereditatis obvenerat, supplicarunt declarari: *An ipsis liceret Missas celebrari facere per proprium Capellanum, soluta eleemosyna manuali unius caroleni, applicando in usus Seminarii alios duos carolenos?*

Et Sacra Congregatio die 18. Julii 1699 respondit:

Affirmative — ut in lib. 49. Decret. pag. 261.

Quaestionem hanc fuse variisque distinctis casibus tractant etiam *Amotaz. de Caus. piis lib. 2. cap. 4. n. 27. et seq., Pasqualig. de Sacrif. nov. leg. tom. 2. quaest. 968. cum plurib. seq.*

Caeterum in casu, qui nunc proponitur, perpendendum videtur, quidnam momenti in utramque partem habere possint plures circumstantiae; prima nimirum, quod non agitur de Missis in perpetuum quotannis celebrandis, sed semel juxta vires haereditatis; secunda, quod Archiconfraternitas non habet solum titulum Executoris, sed etiam Haereditis; tertia, quod eleemosyna duorum Juliorum pro singulis Missis fuit per Testatorem taxata in eadem oratione, in qua Custodes dictae Archiconfraternitatis jussi fuerunt vendere omnia bona haereditaria eorumque pretium erogare pro celebratione tot Missarum; id quod fieri non videretur, si dimidia pars haereditatis cederet commodo Archiconfraternitatis; quarta, quod ipsi Archiconfraternitati haereditate duo praelegata Testator reliquit, non multum tamen utilitatis ei allatura; quinta demum, quod Testator nec certam Ecclesiam, in qua Missae essent celebrandae, nec certas personas, a quibus celebratio esset facienda, praescripsit:

Declarare itaque EE. VV. dignantur: *An eleemosyna pro Missis celebrandis juxta dispositionem Gasparis Probat sit solvenda ad ratio-*

nem manualis, itaut liceat Archiconfraternitati unum Julium pro singulis Missis sibi retinere in casu?

S. C. C. resp.: Negative solutis tamen utensilibus et amplius.

Die 16. Junii 1731.

Cingulana.

Postremis Tabulis anni 1715 Nicolaus Vanuzzi legavit Capellaniam perpetuam, sed mere laicalem post obitum suae uxoris erigendam in Ecclesia oratorii S. Philippi Neri, atque onus unius Missae in singulas hebdomades imposuit. Jussit porro: che il jus di nominare il Capellano spetti in perpetuo alli R. R. Preti della congregazione dell' Oratorio, i quali abbiano da eleggere un Capellano ad nutum amovibile della medesima Congregazione, o altro sacerdote — Pro fundo vero Capellaniae reliquit praedium cum bonis annexis in Contrada del Pozzo — de quali Beni il Capellano pro tempore di detta mia Capellania debba pigliarsi il frutto — Anno 1759. defuncta Haerede, PP. Oratorii die 13. Martii venerunt in possessionem Fundi pro Capellania destinati et consentientibus omnibus Individuis tunc in Congregatione existentibus decretum fecerunt, ut Capellanus semper esset Praefectus Sacrarum, cui eleemosyna unius julii solveretur, et reliqui Capellaniae fructus, qui attingebant vix annua scuta viginti, cederent in utilitatem ecclesiae. Ab hinc semper ita factum est, licet nulla intervenisset Apostolica venia, et PP. Oratorii Fundum Capellaniae administrantes eundem auxerunt emptis nonnullis praediolis eidem Fundo contiguis, ut ex praesenti reddito percipiant annua scuta quadraginta. Sed modernus Rector Congregationis Presbyter Joseph Palozzi verens, ne rite haec facta sint inconsulta sede apostolica, implorat sanationem quoad praeteritum et ap-

probationem illius decreti quoad futurum. Episcopus instantiae favet, ait enim, cum quisque juri suo cedere valeat, idcirco PP. Congregationis discernere potuerunt anno 1759., quemlibet ex ipsis, qui Capellanus nominatus extitisset, unum dumtaxat julium percipere debere pro unaquaque missa. Quod autem pertinet ad caeteros Capellanos imposterum electos, vel praesumi debet laudatum Decretum nescivisse ipsos Patres in actu electionis, illudque simul approbasse, vel admissa eorum ignorantia eidem se subscribere non recusassent, si rescivissent, cum in casu re-nuentionae caeteri Patres illos Capellanos minime elegissent. Proposita haec causa fuit in postrema Congregatione et vos eam ad Folium ablegastis.

Obstat sane Testatoris voluntas et juris dispositio. Testator onus celebrationis imposuit Capellano voluitque, ut ipse: debba pigliarsi il frutto di detta Capellania. — Quare ejusdem fructus non potest Congregatio percipere, et eleemosynam manualement Capellano solvere. Hoc enim ex jure permissum est, quando ipsi Ecclesiae, in qua fundata est Capellania, injungitur cura celebrationis, ut tradunt Card. Lugo disput. 21. de Eucharist. Sect. 2. num. 30., *Aversa* quaest. 11. de Eucharist. 7. 17., *Tamburrin.* opuscul. de Sacrific. Miss. lib. 3. cap. 1. §. 5. num. 10., et alias definit. Sacra Congregatio in Neapolitana eleemosynae Missarum 26. Novembris 1803. Minime vero licet, quando Testator jussit ut stipendium tradatur Capellano, cum ex decretis Sacrae hujus Congregationis ab Urbano VIII. et Innocentio XII. approbatis super celebratione Missarum nefas sit majorem eleemosynam accipere et minorem pro celebratione tradere. Neque probanda videtur ea, quae in precibus afferuntur, ut approbatio concedatur, scilicet quod Capel-

lanus recipiat compensationem in expensis, quas Congregatio Cingulana facit, dum ei sive lintheamina sive pharmaca subministrat, quodque Fundum Capellaniae suo sumptu administravit et coluit et auxit. Nam quae subministrat Congregatio, omnibus reliquis Patribus subministrat, non vero uni Capellano, ut compensetur et fructibus Capellaniae, quos ipse non percipit. Expensae vero pro administratione et cultura tantae esse non possunt, ut dempta eleemosyna unius julii pro Missis annuis quinquaginta duabus absumant omnes fructus Capellaniae. Si vero Congregatio auxit fundum, poterit ad summum percipere fructus, qui ex hoc ipso augmento veniunt.

Verumtamen Praepositus pro Oratorio Cingulano sanationem et approbationem Decreti idcirco postulat, quia optime novit illud per se subsistere non posse. Videndum itaque an justa concurrat causa, ut petitioni annuatur. Sane Testator nedum jus nominandi Congregationi Oratorii reliquit, sed etiam ejusdem Presbyteris passivam vocationem. Quare sicut Congregatio poterat semper Presbyterum Oratorii in Capellanum eligere, ita Presbyteri, quorum erat jus passivae vocationis, poterant frui perceptione fructuum Capellaniae. Nullo enim juris canonici loco vetitum est Capellano condonare majus stipendium a Testatore constitutum, quando nullum in donatione pactum simoniacum intervenit. Abest vero in re praesenti omnis simoniae suspicio, cum Capellania addicta non fuit personae, sed muneri Praefecti Sacrarum. Quare cum Presbyteri Oratorii consenserint in Decretum anni 1759., quo eligebantur pro Capellanis Praefecti Sacrarum pro tempore, soluta tamen julii unius eleemosyna, renunciassent videntur majori stipendio, et Successores, qui nunquam recla-

marunt, neque ratum habuisse praesumi debet decretum huiusmodi. Quare ex hac condonatione erumpit causa, cur quoad praeteritum concedatur sanatio et imposterum probetur decretum, praecipue cum fructus, quos percipit Congregatio ex Capellania dempto stipendio pro celebratione Missae, erogentur in sublevanda angustia rei familiaris ipsius Congregationis. Videant igitur Emmi PP., num precibus annuendum sit pro sanatione et approbatione decreti, aucta tamen eleemosyna Capellano celebranti ad manualementem.

Dubium proponitur:

An et quomodo sit locus sanationi et approbationi Decreti anni 1759. in casu etc.?

S. C. resp.:

Affirmative quatenus conferatur Presbytero Oratorii facto verbo cum SSmo.

Die 23. Jan. 1808.

Parmen.

Facultatem habet ad triennium Parmensis Episcopus ex apostolico indulto absolventi pauperes Sacerdotes et Loca pia ab omnia celebratione Missarum provenientium ex legatis piis, fundationibus beneficiorum et capellaniis, easque quoad futurum reducendi ad taxam Concilii Romani. Quaerit modo, num Beneficiatis locisque piis liceat committere aliis Sacerdotibus celebrationem cum minori eleemosyna? Integra danda est Celebranti eleemosyna, *Amostaz* de Caus. piis lib. 2. cap. 4. num. 27. et seq., et *Pasqualig.* de Sacrific. nov. leg. tom. 2. quaest. 968., et statuit Sacra Congregatio in Decretis generalibus anni 1625 per Urbanum VIII. et Innocentium XII. approbatis ad X. dubium declaravitque in Romana Reductionis Eleemosynae Missarum 21. Februarii 1688.

Decret. 38. pag. 90.: ne aliquid sibi retinere valet Sacerdos, cui primum commissa est celebratio, licet majoris eleemosynae conscius libenter accipiat Celebrans minorem, ut in Romana Eleemosynae 23. Augusti 1764. lib. Decret. 14. pag. 246. Haec vero militare videntur pro Missis adventitiis, pro quibus datur eleemosyna ob unum contemplatum Sacrificium, non pro perpetuis, in quibus diversa militat ratio.

Uberior Beneficiatis assignari solet eleemosyna ratione dignitatis, sustentationis et recitationis divini officii; *Barbos.* in Concil. Trident. sess. 25. cap. 4. de Reform. num. 20., *de Lugo* de Euchar. disput. 21. sect. 2. num. 30., *Pasqualig.* de Sacrific. nov. leg. quaest. 970., *Amost.* de Caus. piis lib. 2. cap. 4. de Miss. earumque stipendio num. 31., *Piton.* de contr. patron. alleg. 67. num. 9. Ideoque aequum censi potest et voluntati Fundatorum consentaneum, ut in committenda alteri Sacerdoti celebratione id in eas causas retineant, in quo eleemosyna excedit manualementem; quemadmodum declaratum fuit in octavo ex decretis generalibus confirmatis in Constitutione: *Nuper* Innocentii XII.

Quod vero ad Loca pia, si amplior percipitur eleemosyna ex fundo legato ex contemplatione Ecclesiae ac praecipua erga illam devotione licita forsitan esset excedentis summae retentio, ut Sacra Congregatio in Romana Legati 3. Augusti 1658. lib. Decret. 21. pag. 933. Nam ad Dubium: *An Sacerdoti celebranti pro Anima Testatoris debeatur eleemosyna juliorum trium in singulas Missas seu potius eleemosyna solita unius julii et reliquum cedat ad commodum Ecclesiae?* Sacra Congregatio respondit: *deberi Sacerdoti celebranti eleemosynam solitam unius julii tantum, reliquum vero ce-*

dere ad commodum Ecclesiae. Si autem ex fundo, qui in majori constitutus sit quantitate ratione utensilium, manutentionis Ecclesiae et administrationis bonorum, tunc his detractis integra fortasse celebranti praestanda est eleemosyna, ut in Romana Eleemosynae Missarum 16. Julii 1731., in qua ad dubium: *An eleemosyna pro Missis celebrandis juxta dispositionem Gasparis Probat sit solvenda ad rationem manualis, ita ut liceat Archiconfraternitati unum julium pro singulis Missis sibi retinere?* Sacra ipsa Congregatio rescripsit: *Negative, solutis tamen utensilibus et amplius.*

Deliberandum hinc erit:

An Beneficiati et Loca pia pro Legatis ad taxam Concilii romani reductis solvere valeant manualementem eleemosynam Sacerdotibus celebrantibus, retenta sibi excedente summa in casu?

S. C. resp.:

Quoad beneficiatos affirmative juxta modum, nempe ad formam declarationis octavae Decretorum generalium confirmatae in Constitutione: *Nuper* Innocentii XII.; quo vero ad Loca pia, affirmative ad formam Decreti 3. Augusti 1658.

Die 12. Maji 1792.

15) Pro missis in locis, ubi ex indulto in commemoratione omnium fid. def. duae vel tres missae ab uno Sacerdote eadem die celebrantur.

Vd. *Missae* (in comm. omn. fid. def. in regnis etc.); *Stipendia* (majora Stipend. etc.) *Indulg. alt. privil.* (eccles. paroch., decr. Clem. XIII. ad finem.)

16) Pro miss. benef., quas Sacerdos Beneficiatus infirmitate vel alias legitime impeditus alteri celebrandas tradit.

Vd. t. III. p. II. p. 158. n. VIII.

Ad dub.: An Capellani (Beneficiati) pro aliqua die cujuslibet hebdomadae

legitime impediti, qui missarum celebrationi per alium Sacerdotem satisfaciunt, debeant huic Sacerdoti persolvere stipendium pro Capellanis statutum vel solam eleemosynam manualementem?

S. C. C. resp.:

Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam.

Die 14. Apr. 1725. ad II. Neapolit.

Omne damnabile lucrum ab Ecclesia remove volens prohibet Constit. *) Urb. VIII. 27. Jun. 1625 sacerdoti, qui missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem missam alteri, parte ejusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat. Attentis his quaeritur:

An hoc decretum habeat locum in Beneficiis, quae conferuntur in titulum, id est, an rector beneficii, qui potest per alium celebrare, teneatur sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem reddituum beneficii?

S. C. resp.:

Non habere locum, sed satis esse, ut rector Beneficii, qui potest missam per alium celebrare, tribuat sacerdoti celebranti eleemosynam congruam secundam morem civitatis vel provinciae, nisi in fundatione beneficii aliud cautum fuerit.

Die 5. Julii 1664.

Vd.: *Stipend.* (num accept. licita etc. decr. Urb. VIII. *Declar.* n. 8. p. 158.)

Si infirmitas est brevis, supplere non tenetur Capellanus per alium; secus si est diuturna; *Barbos. de potest. Episc. allegat.* 24. num. 31., *Cavarr. var. resol. lib. 3. cap. 13. n. 9.* Alii brevem censent infirmitatem dierum octo aut decem, alii ex decreto Concilii Mediolanensis VII. tit. de Miss. extendunt ad mensem, alique mediam tenent sententiam terminumque statuunt dierum quindecim apud

*) Vd. supra pag. 152.

Cabassut. jur. can. theor. lib. 2. cap. 18. num. 10.; Sacra C. Conc. in Romana celebrationis Missarum ad III. Dubium: an tempore infirmitatis teneatur ad celebrationem Missarum per alium? respondit die 17. Septembris 1695: Negative in casu infirmitatis non excedentis quindecim dies. Benedictus vero XIV. de Sac. Miss. lib. 3. cap. 3. num. 6. decisum refert ab eadem Sacra Congregatione die 17. Septembris 1633., Capellanum obligatum celebrare per se ipsum aliquando ex legitima causa vacare posse; sub iudice tamen relinquit, utrum supplere teneatur per alium.

(Ex resol. S. C. C. diei 27. Aug. 1791. Civit. Plebis.)

Civitatis Plebis.

Binas anno 1673. ad nutum amovibiles instituit capellanas Antonius Orca *con peso ed obligo a ciasuno, de' Capellani di celebrare per se medesimo, eccetto in caso di legitimo impedimento, tre Messe in ciascheduna settimana nell' Altare di S. Pontiano Martire esistente nella Chiesa Cattedrale di Città della Pieve per refrigerio dell' Anima sua, de suoi etc., volendo, che sempre ed in perpetuo medesimi Capellani godino il frutto, accio mai si cessi dalla celebrazione delle sudette Messe per ciascuna settimana.* Ea innixi exceptione, *eccetto in caso di legitimo impedimento*, Missa in casu infirmitatis pluribus ab hinc annis praetermittere consueverunt Capellani, per hebdomadam, mensem et ultra. Aegre igitur hujusmodi consuetudinem ferens Vestrum Civitatis Plebis Antistes occasione visitationis Sac. Liminum exquirat iudicium.

Dubium non est, quin celebrare teneantur Capellani per se ipsos, quum aperta in id sit Fundatoris voluntas. Ponderandum itaque, num exceptio legitimi impedimenti personalem tan-

tum appellet celebrandi obligationem, vel onus etiam celebrationis. Priori namque casu contrariam firmaret regulam, quod Capellani legitime celebrare possent per alios; secundo liberaret etiam ab onere supplendi Missas durante impedimento; *Piton. discept. ecclesiast. 142. num. 5., et de contro. patron. alleg. 33. num. 8., Monacell. form. part. 4. in supplem. ad tom. 1. num. 233.* Ex iis autem verbis: *con peso, et obligo a ciascuno de Capellani de celebrare per se medesimo, eccetto in caso di legitimo impedimento*, restricta videtur ad onus celebrandi per se ipsum, cui immediate adhaeret, per *Text in leg. 1. ff. de regul. jur., Rot. in Recen. decis. 391. num. 1. part. 1.* Idque confirmatur ex sequenti declaratione: *accio mai si cessi della celebrazione delle sudette Messe per ciascuna settimana, quae respectu ad celebrationem in genere excludere videtur casum impedimenti.*

Recepta insuper est distinctio inter onus celebrandi diebus certis et determinatis, aliudque indefinitivum. Qui designatos habet dies, supplere non tenetur in aliis Missas non celebratas, ut supplere non tenetur jejunium, Officium et similia, qui eo in tempore omisit; dummodo praeter cultum Sacrificii Ecclesiaeque servitium volitum non sit suffragium, quo nunquam fraudari debet Fundator, *Pasqualig. de sacrific. Miss. quaest. 1119. num. 2.* Qui indefinite vero certum in hebdomada celebrare debet Missarum numerum, non liberatur ab illarum supplemento, quum absolute volita censeatur celebratio, licet in partes divisa, *Pasqualig. loc. cit.* His positis deliberare dignentur EE. Vestrae, quid decernendum in casu, in quo tres Fundator hebdomales Missas indefinite praescripsit, easque *per refrigerio dell' anima sua, de suoi etc.*

Licet vero acceptus casus impediti (quo nomine venit etiam infirmitas) facultatem tribueret celebrandi per alium, quaerendum adhuc esset de termino obligationis. Si infirmitas est brevis, supplere non tenetur Capellanus per alium; secus si est diuturna, *Barbos. de potest. Episc. alleg. 35. num. 31., Cavarr. var. resol. lib. 3. cap. 13. num. 9.* Alii brevem censent infirmitatem dierum octo aut decem, alii ex decreto *Concilio Mediolanensis VII. tit. de Miss. extendunt ad mensem; alique mediam tenent sententiam terminumque statunt dierum quindecim, apud Cabassut. jur. can. theor. lib. 2. cap. 18. num. 10.; Sac. Congreg. Conc. in Romana celebrationis Missarum ad III. Dubium: an tempore infirmitatis teneatur ad celebrationem Missarum per alium? respondit die 17. Septembris 1695: Negative in casu infirmitatis non excedentis quindecim dies. Benedictus vero XIV. de Sac. Miss. lib. 3. cap. 3. num. 6. decisum refert ab eadem Sac. Congregatione die 18. Sept. 1633., Capellanum obligatum celebrare per se ipsum aliquando ex legitima causa vacare posse: sub iudice tamen relinquit, utrum supplere teneatur per alium.*

Dubium est:

An et quomodo Capellani Orea supplere teneantur Missas tempore infirmitatis in casu?

S. C. resp:

Affirmative et teneri per alios Sacerdotes.

Die 27. Aug. 1791.

Cum Beneficiis ecclesiasticis ut plurimum sint adnexa Missarum onera, hinc dubitatum olim fuit, an pro sufficienti Congrua juxta taxam synodalem computandi sint Beneficiorum redditus, deductis oneribus, quibus ea fortasse gravata reperirentur. Opinantur pleri-

quo Missarum onera esse detrahenda, quando liberum est Beneficiato illis vel per se vel per alium satisfacere; secus vero quando Missae personalem celebrationem requirunt. Hujus distinctionis fundamentum in eo constituit, quod in primo casu, si Beneficiatus in morbum incidat, cujus causa impeditus sit Missam celebrare, debet alteri Sacerdoti eleemosynam elargiri, ut Missarum oneri satisfaciat, ac proinde si morbus diuturnus sit, accidere posse, ut Beneficiatus ad extremam redigatur mendicitatem, cui Tridentinum in demandanda Patrimonii constitutione voluit occurrere. Hoc tamen periculum abesset in secundo casu, quia Sacerdos, qui per se ipsum celebrare tenetur, tempore, quo aegrotat, aut alio detinetur legitimo impedimento, nulla afficitur obligatione celebrandi per alium juxta doctrinam *Leandri cum aliis ab eo allegatis in oper. moral. tom. 2. tract. 8. disp. 7. quaest. 19.*

Contra alii arbitrantur in neutro casu Missarum eleemosynam esse detrahendam; siquidem *D. Thomas 2. quaest. 100. art. 2. ad. 2.* assertit, quod eleemosyna, quae Sacerdoti datur pro Missae celebratione, sit quasi stipendium suae sustentationis; hinc nullam dicunt adesse rationem, propter quam Missarum eleemosyna computari non debeat inter redditus Congruae ad Patrimonium requisitae. Nec in minimo abesse ajunt, quod Sacerdos, cui liberum est celebrare per alium tempore infirmitatis, teneatur alteri stipem elargiri, qui Missas adimpleat, nam hic casus infrequens est, et ad eum jura non respiciunt. Advertunt praeterea, hoc idem periculum obvenire posse, quando Beneficiatus per se ipsum Sacra celebrare debet, cum eo casu, si ratione morbi a celebratione praepediatur et infirmitas sit diuturna, non solvitur ab obligatione celebrandi per alium ad tradita per *Card. de*

Lugo de Sacram. Eucharist. disp. 11. sect. 2. num. 48. et 49, Passerin. de stat. homin. tom. 2. quaest. 587. art. 4. n. 1120.)

(Ex resol. S. C. C. diei 11. Jan. 1783. Interamnen.)

Mediolanen. seu Lauden.

Haec causa descripta fuit in Folio Congr. habitae die 22. Septembris superioris anni, sed definita non fuit ob superventam notitiam obitus Joannis Baptistae Gambaja Capellani, qui controversiam excitaverat. Sed Capitulum Ecclesiae Cathedralis Laudensis Haeres Comitum Moroni Capellaniae Fundatoris cupiens quaestionem definiri pro futuris casibus, in jus vocavit coram hac Sacra Congregatione Cyprianum Arrigoni Successorem Capellanum, speciali citatione contra eum exequuta die 28. praeteriti Mensis Februarii. Et post longam moram illo adhuc non comparente urget pro Causae decisione, non obstante contumacia.

Et disputat, Comitum Moroni nudum scripsisse legatum Missarum: Si celebri una Messa quotidiana sino in perpetuo nella Chiesa di S. Nazaro — et vacationes ex causa infirmitatis limitasse ad decem dies, praescribendo, ut — caso, che il sudetto Sacerdote, o Sacerdoti, che per tempo si elegeramo, non potesse, o non potessero celebrare la sudetta Messa per malatia, o altro impedimento, per dieci giorni sera sculato e non altrimenti: ed ivi nanti sia tenuta dirla, o farla dire; altrimenti il mio Errede non sia tenuto darli l'elemesina e la possi far celebrare da altri Sacerdoti. Quocirca infert, longiores vacationes non esse Capellano infirmo indulgendas, tum ex dispositione juris, ad tradita per *Barbos. de Offic. et potest. Episc. par. 2. alleg. 24. sub. n. 31.*, tum fortius attentam voluntate Fundatoris, quae adamussim

servanda est, ut firmat *Piton. discept. Eccles. 2. n. 4.*

Nec obstare censet, praedictum Legatum Missarum fuisse in Capellaniam choralem erectum autoritate ordinaria, ex voluntate Parochi Joannis Baptistae Corbella, qui dotem auxit de bonis suis quique facultatem acceperat a Comite Moroni eligendi Sacerdote pro celebratione, concedendogli ancora ampla facolta di poter eleggere doppo la di lui Morte Persona, Famiglia, Capitulo e loro discendenti, o in che modo piu li piacera, di celebrare o di far celebrare la sudetta Messa —. Putat enim, Capellanum infirmum eatenus non teneri alium substituere in celebratione Missarum sibi incumbentium, quatenus onus habeat celebrandi per se ipsum, quod non constat fuisse injunctum in erectione hujus Capellaniae, ut explicant, *Fagnan. in cap. significatum n. 9. de praebend., Monacell. in append. ad tom. 1. formul. legal. adnot. ad decret. de celebr. Missar. pag. 355. n. 6.*, et San. Mem. Benedict. XIV in discours. relat. per *Rigant. ad regul. 24. Cancell. §. 5. n. 63.*, et quatenus infirmitas longo tempore non sit durata, ut rejecta opinione *Amostaz. de Caus. piis lib. 3. cap. 6. n. 30. ad 36. de veriori sententia hujus Sacrae Congregationis testantur Passarin. de stat. hom. tom. 2. quaest. 587. art. 4. n. 1120.*, *Monacell. d. adnot. ad decret. de celebrat. Miss. n. 7.*, *Rigant. ad regul. 24. Cancell. §. 5. n. 65.* et S. M. Benedict. XIV. de *Synod. Dioec. lib. 7. cap. 72. n. 5.*, et instit. Eccl. 26. n. 6.

Praeterea defendit, erectionem Capellaniae nullo in pretio habendam esse, quia non erat in potestate Ordinarii commutare voluntatem pii Testatoris, qui simplex Legatum Missarum reliquerat, ut ex censura Sacri Concilii Tridentini Sess. 25. cap. 5. de reform.

tradunt *Garz. de Benef. par. 1. cap. 2. n. 105.*, et *Lara de Annivers. et Capell. lib. 2. cap. 1. n. 23.* itaut erectio in eo, quod repugnat voluntati Fundatoris, substineri nequeat etiam ex consensu Patroni et ex augmento Dotis, ut firmat *Piton. de contr. Patron. alleg. 34. n. 23.*

Quod fortius, subditur, in hypothesi urgere, ex quo Capellaniae erectio demandata fuit a Parocho Corbella relative ad Testamentum Comitum Moroni — conforme la pia mente del Signor Maestro di Campo Morone, aderendo alla di lui testamentaria volenta, e facolta da esso a me conferita nel suo Testamento, al quale si abbia relazione. Ideoque extraneas esse generales regulas de Capellanis praescriptas, quia relative ad Testamentum Comitum Moroni, vacationes ex causa infirmitatis ad decem dies limitantur et obligatio Capellani sumenda est non in abstracto, sed juxta legem foundationis, ut moment *Barbos. de Offic. et potest. Episc. d. part. 2. alleg. 24. n. 26.* et *Amostaz. de Caus. piis lib. 3. cap. 6. num. 2.*

Verum Eminientissimus Archiepiscopus auditus super precibus Capellani Gambaja, inclinabat pro validitate erectionis Capellaniae ecclesiasticae, ob facultates a Testatore tributas ut supra Parocho Corbella, cum plena fiducia suae voluntatis, et ex ejusdem erectionis efficacia ei videbatur habere locum censura *Text. in cap. significatum de praebend.*, quod in ea Dioecesi, quoties quis ordinatur ad titulum Capellaniae manualis seu laicalis, idonea exigitur fidejussio alicujus aptae personae, quae suppeditet Ordinato alimenta in casu infirmitatis etc., nulla autem exigitur fidejusso pro casu infirmitatis, de quo supra, quoties quis ordinatur ad Titulum Beneficii ecclesiastici, in qua quidem ordinatione hic non detrahuntur onera Missarum

ex reddito Beneficii, et proinde annuus redditus sc. octo supra quadraginta monetae Romanae sufficit pro titulo Ordinandi, etiamsi adnexum habeat onus Missae quotidianae. Hinc Ordinati ad titulum Beneficii ecclesiastici casu, quo infirmentur, ex inveterata consuetudine vigente apud quoscumque timoratae conscientiae, supplere non faciunt Missas, quas Infirmi omittunt.

Erit itaque definiendum ab EE.VV.: *An Sacerdos obligatus quotidie celebrare per se vel per alium possit pro tempore infirmitatis ultra decem dies omittere celebrationem, et nihilominus Eleemosynam praetermissae celebrationis consequi in casu?*

S. C. C. resp.: Negative.

Die 23. Aug. 1760.

Juxta Sensum Sac. Congregationis Sacerdos obligatus ad celebrandum per se ipsum tenetur celebrare per alium in casu saltem longae infirmitatis, sic enim resolutum fuit in *Romana* celebrationis Missarum 4. Junii 1689 in casu Capellani, qui erat obligatus ad celebrandum per se ipsum et omiserat propter infirmitatem celebrationem quadraginta sex Missarum: proposito quippe dubio: *an Capellanus obligatus quotidie celebrare per se ipsum potuerit omittere celebrationem pro dicto tempore infirmitatis et nihilominus eleemosynam praetermissae celebrationis consequi?* Responsum fuit: *Negative et teneri supplere per alium celebrationem Missarum omissam occasione Infirmitatis.* Consimilis est resolutio in alia *Romana* 2. Octobris 1721; praevio quippe voto Eminientissimi D. mei Cardinalis Zondodarii, dictum fuit: Capellanum, qui tenebatur per se ipsum et celebrationem omiserat nonnullis mensibus causa infirmitatis, esse obligatum ad celebrare faciendum Missas, quas non celebravit tempore infirmitatis, et concordat aliud decretum

Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium in Novarien. 17. Maii 1627. apud *Passerin.* de statu homin. tom. 2. quaest. 587. art. 4. num. 1120. ibi: Sacra etc. respondit: *Sacerdotem, cui a Testatore impositum fuit onus quotidie per se celebrandi, si legitime impediatur, quominus id munus per se possit explere, teneri per alium satisfacere oneribus Missarum sibi a Testatore impositis, et distinguendo inter infirmitatem brevem et longam, ita ut primo casu non teneatur per alium satisfacere, secus autem in secundo, late prosequuntur Card. de Lugo de Sacram. Euchar. disput. 21. sect. 2. num. 48. et 49., Diana in Edit. Coord. tom. 2. tract. 1. resolut. 59.*

(Ex discursu Secretarii S. C. C. diei 8. Aug. 1722.)

17) Pro missis manual., pro quibus legendis Sacerdos majus solito stipendio accepit sed alteri Sacerd. legendas tradit.

Vid. *Stipend.* (integra; taxatio ab Episcopo); t. III. pers. II. p. 158. n. IX.

Ad dub.: An Sacerdotes*), quibus aliquando offertur eleemosyna major solita pro celebratione missae, debeant dare eandem integram eleemosynam iis, quibus missas celebrandas committunt; an vero satis sit, ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam?

S. C. resp.:

Debere absolute integram eleemosynam tribuere Sacerdoti celebranti nec ullam illius partem sibi retinere posse.

Die 5. Julii 1664. Cosmus Card. de Torres. Prosper Fagnanus S. Congr. Secr.

*) Vd. Edictum Clem. XI. 23. Dec. 1706. praecipiens, ut sacerdotibus integra eleemosyna (unius Julii) pro qualibet missa absque ulla diminutione tribuatur. (pag. 170.)

Vd. *Stipendium* (num. accept. licita sit a Sacerdot. etc.; a quibus etc. decr. Urb. VIII. n. 2. et *Declarat.* n. 10. decr. S. C. C. diei 13. Maii 1679; Institut. Alexand. VIII.; Innocen'. XII.) *Stipend.* (taxatio ab Episcopo, decr. *Alexanen.*) *Stipend.* (pro missis fund. totum a fundator. etc.)

Mandavit Comitissa Victoria Maria Muti celebrationem missarum binarum quotidie cum eleemosyna duorum Juliorum pro qualibet, excludendo erectionem capellaniae seu Beneficii, sed tantum celebrationem praedictam.

Quaeritur: an possit dari Substituto eleemosyna, quae in usu est, retento sibi eo quod superest?

S. C. C. resp.: Negative; die 7. Maii 1672.

Romana Retentionis Stipendii Missarum. Quum Card. Corradus in testamento jussisset celebrari singulis annis missas 30 in Ecclesia in honor. S. Gregorii Deo dicata a sacerdote eligendo a Rectore domus professae Soc. Jesu, quaeritur: An Sacerdos sic electus a P. Rectore possit dare alteri sacerdoti ad hoc, ut celebret dictas missas, juxta eleemosynam consuetam, retento sibi eo, quod superest?

S. C. C. resp.: *Negative.* Die 22. Febr. 17. Jul. 1688.

Alexander PP. VII. damnavit propositionem:

Post decr. Urb. VIII. potest Sacerdos, cui missae celebrandae traduntur, per alium satisfacere collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

Romae die 14. Sept. 1665.

Vd. Bull. mag. r. append. ad tom. VI. p. 1. edit. Luxenb. 1727.

Missas plures, quam ab eo intra bimestre persolvi possint, sacerdos non suscipiat,

piat, nisi offerens dilationi expresse consentiat. Qui stipendio manuali accepto obligationem missam celebrandi alium in presbyterum transfert, integram eleemosynam, licet stipendio ab antistite statuto major sit eidem erogare teneatur, nec partem retinentem juvaret, quod alter rei certior factus consensum tribuerit; quippe non de privatorum commodis, sed de sanctissimae rei decore agitur. Alia tamen missarum fundatarum conditio; eas enim, cui stipendium adjunctum beneficii titulo debetur, per alium sacerdotem persolvere potest, retenta ea stipis parte, quae stipendium ab episcopo constitutum superat.

(Ex conc. provinc. Viennens. 1858 celebrato c. V. *Analecta J. P.* 1861. p. 372.)

Benedictus PP. XIV.

VV. FFr. Archiep., Episcopis universis.

Quanta cura adhibenda sit, ut SS. missae Sacrificium non solum omni religionis cultu et veneratione celebretur, verum etiam ut a tanti Sacrificii dignitate cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, importunae atque illiberales eleemosynarum exactiones potius quam postulationes et alia simoniaca et turpes quaestus e medio tollantur, nemo ignoret.

Verum eousque tandem progressa est nonnullorum sive ecclesiasticorum sive laic. virorum avaritia, ut eleemosynas quidem seu *Stipendia propter missarum celebrationem*, juxta locorum consuetudines vel dioeces. Synodorum sanctiones, in subsidium alimentorum uniuscujusque Sacerdotis dumtaxat, pro regionum opportunitatibus, praescripta, colligant, missas vero celebrari curent alibi, ubi stipendia pro singulis missis attributa minoris sint pretii, quam illic, ubi accipiuntur.

Id quam absonum sit et alienum ab ipsa sive expressa sive tacita pie of-

ferentium voluntate, omnes plane intelligunt. Nec aliter existimandum est, in illa enim potius missas celebrandas esse quisque vult, ad quam religionis et pietatis stimulo ductus eleemosynas confert aut in qua quispiam fortasse tumultus est quam in alia Ecclesia sibi prorsus ignota. Quod sane, veluti mercaturis faciendis a turpis lucri cupiditate inductum, non solum ab avaritiae suspicione et vitio, verum etiam a furti crimine, unde restitutioni subjacet, haud immune, in causa est, ut honorum quamplurimi, ad quorum notitiam mercatura hujusmodi venit, graviter offensi ab eleemosynis ad celebrandas missas amplius offerendis sese abstineant.

Execrabilem hujusmodi abusum alibi sensim irrepentem detestantes Rom. Pontifices decretum voluerunt, nimirum: *a quolibet Sacerdote stipendio majoris pretii pro celebr. missae a quocumque accepto, non posse alteri sacerdoti missam hujusmodi celebraturo stipendium minoris pretii erogari, etsi eidem sacerdoti missam celebranti et consentienti se majoris pretii stipendium accepisse indicasset.*

Eapropter vos, Venerabiles FF., rogamus et maximopere in Domino hortemur, ut enitami, ne ea pestis amplius pervagetur, sed ut penitus extingatur. Universis notum facite, quemcumque contrafacientem Laicum praeter alias arbitrio vestro irrogandas poenas, excommunicationis poenam, clericum vero sive quemcumque, sacerdotem poenam suspensionis ipso facto incurrere, a quibus nullus per alium nisi per Nos ipsos seu Rom. Pontificem, nisi in mortis articulo, absolvi possit.

Datum Romae die 30. Jun. 1741.

(Bull. r. t. XV., p. 35. *Anal. J. P.* 1864. p. 972.)